

persona? Quæ questio in illa Esaia peruersè quam legebat Enochus, scitè & scienter excitata ad omnium Prophetarum justam interpretationem transferri & accommodari debet. Tantum autem abest, ut scholam Epicureis aperiat, & his qui Summum bonum in voluptate constituunt: ut contra voluptariam vitam cap. 2. insaniam quandam & furorem ducat. Cumq; summam omnium, cap. 12. proponat Dei timorem, & mandatorum eius observationem, omniaq; sub sole vanissima totus liber clamat, ex Atheorum officina doctrinam illam non prodire palam est. Edendi verò & bibendi liberalem usum alicubi præcipiens, non eò facit, ac si omnia voluptatis sensu metiatur: sed sordidos & aridos vellicans, hoc facit, qui necessariis & debitis hujus vitæ subsidiis seipsum fraudant, potius quàm concupitam & animo suo designatam pecuniarum vim & molem non attingant & assequantur. Sed hujus libri thesauros malle ex ipso Salomone, quàm nostro & tenui præconio addiscas. Præter Homilias, totum librū in Metaphrasim cōjeci, partim ut series & οἰκονομία Prophetæ melius intelligatur, partim ut occupatioribus, quibus totum librum legere non vacat, breviori compendio quod querunt, absq; diuturniori ab aliis negotiis sevocatione, assequantur: doctioribus verò & magis in hoc studio Theologico exercitatis, ne nostra legendo, à majoris & melioris momenti scriptis abstrahantur. Vale humanissime Lector, & quem ego ad scribendum, tu ad legendum animum affer, id est, sincerum & veritatis amantem.

